UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

Continet Tractatvs De Conscientia, De Peccatis, De Legibvs, De Fide, Spe, Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Punct 1. Quæ sit opinio probabilis, quæ probabilior, quæ communis, & an communis singulari sit præferenda?

urn:nbn:de:hbz:466:1-76540

Visual Library

pauperi elargiendam, & omittas minus videris peccare quàm ſi furtum commiſiſſes. Ratio eſt, quia vt bene dixit Sylueſter *verbo conſcientia, quæſt.* 1. ex D.Thom. *in 2 diſtinct.* 39. cõſcientia non ligat virtute propria, ſed præcepti ſuperioris, quod repræſentat, quod præceptum etſi à ſuperiore latum antea non ſit media tamen conſcientia fertur, & promulgatur, ac proinde eodem modo obligat, ac ſi à Deo latum antea fuiſſet. Ex quo ſoluitur fundamentum Baſolis *in 2. diſtinct.* 38. *&* 39. *qu. vnica, artic.* 3. affirmantis ſemper eſſe maius peccatum ſequi conſcientiam vitioſè errantem, quam illam non ſequi, quia in ſequenda conſcientia comtemnitur præceptum ſuperioris, in illa ſequenda contemnitur præceptum Dei, & rectæ rationis. Dicimus namque ſemper contemni præceptum Dei, & rectæ rationis dictanctis contra conſcientiam operandum non eſſe illa durante, & ita relatis Durando, Almain. Cordub. docet Azor. *t.* 1. *inſtit. moral. lib.* 2. *cap.* 8. *q* 9. Sayrus *in claui regia lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 24. *& ſeqq.* Thom. Sanch. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 11. *n.* 15. Vaſquez 1.2. *q.* 19. *diſp.* 60. *c.* 3. *n.* 10. Salas *tr.* 8. *diſp. vn ſect.* 3. *n.* 27. Sylueſt. *q.* 2. *verb. conſilia.*

3 Secunda difficultas, an ſit maius peccatum operari contra conſcientiam errantem, quàm contra præceptum ſuperioris.

Reſpondeo iuxta ſupradicta pro qualitate materiæ metiendam eſſe obligationem, & grauitatem. Aliquando enim tranſgredi præceptum ſuperioris erit grauius, quàm tranſgredi præceptum conſcientiæ, ſi materia præcepta à ſuperiore grauior ſit. Verùm ſi ſuperior, & conſcientia circa eandem materiam verſantur, grauius erit tranſgredi præceptum ſuperiori, quàm præceptum conſcientiæ mala fide errantis. Quia in hac tranſgreſſione conſcientiæ inuoluitur aliqua ignorantia, quæ voluntarium minuit, ac proinde grauitatem peccati. Dixi grauius eſſe regulariter loquendo: nam aliquando error eſt ita craſſus, & ſupinus, & affectatus; vt ſcientiæ de præcepto æquiualeat.

4 Tertia difficultas, an obediendum ſit conſcientiæ erranti, vel ſuperiori contrarium præcipienti.

Reſpondeo, ſi conſcientia inuincibiliter errat, abſque dubio ei eſt obediendum: at raro contingit inuincibiliter tunc errare, præſumi enim debet pro ſuperioris præcepto, ac proinde deponenda conſcientia, & obediendum Prælato. Ita Vaſquez *diſp.* 61. *c.* 1. & Azor. *l.* 2. *c.* 8. 9. 10.

5 Quarta difficultas, an poſſit pro libito conſcientiam errantem deponere.

Reſpondeo nullo modo poſſe, cùm manifeſto periculo te exponas veram conſcientiam deponendi: illa enim falſa conſcientia tibi apparet, vt vera. Si ergo veram pro libito deponere non potes, quia non potes pro libito te legibus diuinis exuere, neque poteris conſcientiam errantem pro libito depellere. Secundò, vel illa conſcientia ex rationibus probabilibus errat, vel ex rationibus moraliter certis ſecundum tuam æſtimationem: quocumque modo ſit, vt prudenter deponatur, debent adeſſe rationes ſaltem probabiles in contrarium. aliàs temerè procedes, neque poteris honeſtare actionem. cum oriatur ex iudicio abſque vlla ratione efformato: & ita docet contra Caietanum. 1.2. *quæſt.* 19. *artic.* 5. *&* 6. Salas *ibid. tract.* 8. *diſp. vnica ſect.* 3. *num.* 30. Vaſquez *diſp.* 67. *cap.* 1. *ad fin.* & aliis pluribus relatis Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 11. *num.* 10.

DISPVTATIO II.

De conſcientia opinante, ſeu de opinione.

PVNCTVM I.

Quæ ſit opinio probabilis, quæ probabilior, quæ communis, & an communis ſingulari ſit præferenda.

1 *Qui dè his agant latè.*
2 *Quæ ſit opinio probabilis.*
3 *Sufficiat ne vnius authoris dictum opinionem probabilem cõſtituere? Reſpondetur cum diſtinctione*
4 *Propoſitio alicuius Doctoris neoterici, tametſi videatur contra communem non debet vt improbabilis iudicari.*
5 *Debet tamen hæc propoſitio non incidenter, & perfunctoriè eſſe prolata.*
6 *Factum vnius Doctoris non videtur opinionem probabilem conſtituere.*
7 *Opinio probabilior eſt, quæ firmori ratione fulcitur.*
8 *Regulariter quæ à pluribus approbatur, probabilior eſt iudicanda.*
9 *Sæpè ſententia probabilior non talis tibi apparet.*
10 *Opinio communis eſt quæ communiter à Doctoribus rem ex profeſſo tractantibus defenditur.*
11 *Hæc opinio regulariter particulari eſt præferenda.*
12 *Aliquando ſingularis communi præfertur.*

1 De his igitur latiſſimè Azor. *tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 2. *à cap* 9. Vaſquez 1.2. *quæſt.* 19 *diſp.* 62. Anton Perez *in ſua laurea certam.* 10. *ſcholaſt. dub.* 2. *à cap.* 6. *vſque ad* 9. & alij in diſcurſu referendi

2 Primò igitur dicendum eſt opinionem probabilem eam eſſe, quæ firma ratione fulcitur, neque contra ſe habet rationem conuincentem: ſi enim illam habet, iam non opinio, ſed error erit, vt bene dixit Ioann. Sanchez *in ſelect. diſp.* 14 *n.* 8. Contingere autem poterit, vt tibi probabiliter opinanti ratio aliqua in contrarium videatur conuincens, ſed non inde probabilitatem opinio amittit: nam licèt tu ſoluere illam rationem non poſſis, alius tamen ſoluere poterit, & hoc tibi debes perſuadere, cum ſæpè multæ rationes tibi inſolubiles repræſentantur, quæ ab aliis facillimo negotio ſoluuntur Quare imprudenter procederes, ſi ob hanc cauſam, aliorum opiniones, quæ vt probabiles circumferuntur, improbabiles iudicares: conſentit Ion. Sanchez. *ſupra* Thom. Sanch. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 6. Sayrus *in claui regia lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 7. Vaſquez *diſp.* 62 *cap* 4. *n.* 8.

3 Solum eſt dubium, an vnius authoris dictum ſufficiat. opinionem probabilem conſtituere!

Reſpondeo cum diſtinctione, ſi res pro qua eſt opinio ab authoribus agitata non ſit, nemini poteſt eſſe dubium, dictum vnius grauis, & pij Doctoris, qui ratione firma intelligitur moueri, ſufficere ad opinionem probabilem conſtituendam tam ſibi, quam aliis: ſi vero res controuerſa ſit à paucis, poteſt vir doctus aduerſus illos ſentire, ſi rationem firmam in contrarium habeat Quod ſi à multis ſit ex profeſſo res agitata, & omnes perpenſis rationbus vnum ſentiant, adhuc exiſtimat Ioan. Sanchez *in ſelect. diſp.* 44. *num.* 62. poſſe virum doctum contrarium probabiliter opinari, ſi videat aliquam rationem pro ſua parte ſtare ab illis inſufficienter ſolutam hoc enim modo opiniones probabiles in ſcholis fuerunt introductæ. Verum etſi hoc in aliquo caſu cotingere poſſit, raro tamen: potius enim talis Doctor credere debet ſe errare, quam aliorum iudicio præponi timere enim debet ne lumen, quod ſibi eſſe videtur. tenebræ ſint prudentia enim & humilitas petit aliorum iudicio ſe ſubiicere, & conformare vt rectè colligit Nauar *cap.* 27. *num.* 286. *&* 289. *ex cap. prudentia, de officio de legati, & cap. de quibus. diſtin.* 20. Aliquando tamen quod multis reconditum, & abſtruſum erat aliqui manifeſtatur. Quot enim veritates tempore D. Thomæ, & Bonauenturæ elucidatæ ſunt aduerſùs communem, & receptam ſententiam; Eccleſia enim Dei quotidie illuminatur; & vt bene dicit Gloſſ. *in cap. ad noſtrã de conſuetud. verbo incipientibus* interdũ reuelatur minori quod maior neſcit: & eſt optimus text. ad id probandum *cap. ſi habes.* 24. *quæſt.* 3. quod eſt Auguſt. *& cap. eſto. ſubiectus*, quod eſt Hieronymi. *ante finem.* 95. *diſt.* Et ita vnius Doctoris grauis dictum, ſi firma ratione muniatur, ſufficere ad probabilem opinionem aſſerendam aduerſùs communem docuit Azor *t.* 1 *cap.* 17. *qu.* 6. Gabriel Vaſquez. 1.2. *t.* 1. *diſp.* 62 *cap.* 4. *n.* 12. Thomas Sanchez. *lib.* 1 *in Decalog. cap.* 9. *n.* 9. Villalobos *ſum. tom* 1. *tract.* 1. *deffic.* 4. *num.* 17. Henriquez *de pontif. leg. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 13.

4 Ex his infertur manifeſte, ſi in libro alicuius Doctoris neoterici inuenias aliquas propoſitiones abſolute affirmatas, quæ aduerſùs communen videntur, non illas vt improbabiles debes iudicare; imo potius illas debes cenſere probabiles, dum tibi non conſtat à Sede Apoſtolica eſſe vt improbabiles iudicatas. Si enim ex conſilio illius doctoris verbo tenus prolato moueri poteras ad agendum, qualiter mouetur; diſcipulus, & ſecurè procedit ſententiam magiſtri pij, & grauis ſequens, vt tenet Panormitanus *in cap. Capellanus, de feriis.* Imolac. *per tuas, el.* 2. *de ſimonia* & tradit Villalobos *tom.* 1. *ſum. tract.* 1. *difficult.* 6. *num* 1. Nauarr, *conſil.* 2. *de pœnitent. & remiſſionib.* à fortiori poteris ex conſilio typis mandato, cùm tunc maiori circumſpectione proferatur, & ab aliis doctis ſit prius approbatum: ſic docuit Azor *lib.* 2. *cap.* 17. *quæſt.* 4. *&* 5. Villalobos *ſupra* Dixi, *alicuius Doctoris neoterici pij, & grauis* Nam de Doctore antiquo maior dubitatio eſſe poteſt, an eius opinio et ſi ſuo tempore probabilis fuerit, antiquata iam ſit & à Sede Apoſtolica cenſeatur communiter reprobata, ac proinde vir rudis, & indoctus eius dictis tantum fidere non debet quæ omnia optimè docuit ſicut ſolet, Thomas Sanchez doctrinæ moralis lumen, *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *num.* 10. *&* 11 & conſentit Vaſquez. *diſp.* 62. *cap.* 4. *num.* 17. *&* 18. Villalobos *t.* 1 *ſum. tract.* 1. *diffic.* 6. *num.* 1.

5 Aduerte tamen, vt opinio alicuius Doctoris aduerſùs communem probabilis cenſeatur, non ſufficit, ſi perfunctoriè, & incidenter, & occaſione alicuius argumenti dicta ſit (etſi ita placeat Ioan. Sanchez. *diſput* 44 *num.* 62. *fine.*) Nam vt bene dixit Maſcardus *de probationib. concluſ.* 1143. *n.* 11 quæ

dicuntur

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

dicuntur incidenter, fortè ad colorem, non ad probationem dicuntur, ſicuti confeſſio incidenter facta, vel quæ fit ad alium finem, non præiudicat confitenti, vt aſſerit Gloſſa *in cap. pœnitentibus 50. diſt.* per Doctores *in cap. at ſi clerici. in princ. de iud.* Requiritur ergo, vt reſolutoriè dicatur. Et multò minus ſufficiet, ſi in indice libri dicatur: non enim indices ea cura ab authoribus ſunt inſpecti, & ſæpè ipſius authoris non ſunt, ſed ab alio tertio. Quando autem in indice ratio concluſionis adducitur, placet Ioan. Sanch. *diſp.44. n.69.* poſſe tutò talem opinionem, vt probabilem amplexari, quia tunc ferè idem eſt, ac ſi in corpore libri diceretur.

6 Nunquam tamen exiſtimo ſufficere ad probabilem opinionem conſtituendam factum vnius Doctoris etiam pij. Nam ſæpè ad factum moueri poteſt, vel ex aliqua diſpenſatione ſibi facta in lege, quam alius non cognoſcit, vel ex aliqua paſſione, aut inaduertentia. Non enim ſemper religioſus operatur quod honeſtum eſt: & ita tradit Ioan. Sanchez *diſp.44. num.71.* Exiſtimarem verò ſufficere, ſi plures religioſi id viderentur efficere abſque ſcrupulo: tunc enim præſumendum eſt licere. Sic Saà *in edition. Romana, & complutenſi, verbo, dubium, n.3.*

7 Dico ſecundo, Opinio probabilior eſt, quæ firmiori, & efficaciori fundamento fulcitur, non quæ à pluribus Doctoribus defenditur: ſic docet Nauarr. *ſum.cap.27. num.289.* Thomas Sanch. *lib.3. de matrim. diſp.44. n.2.* Ioan.Sanch. *diſp.44. num.68.* Villalobos *tom.1.ſum. tract.1. diffic.4.num.2.* Azorius *lib.2.inſtit. moral.cap.10. quæſt.2.poſt medium, & q.4* & multis allegatis docet Maſcard. *de proportionib. concluſ.1143.n.3. & 5* & conſtat ex text. vulg. *in lib.1 §.neque, C.de veteri iure enucleand.* ibi, *Sed neque ex multitudine authorum, quod melius, & æquius eſt, iudicari debet, cùm poſſit vnius forſan, & deterioris ſententia, & multos, & maiores aliqua in parte ſuperare.* quem textum commendat maximè Abbas *cap.1. de conſtit. verſ. ſecundo caſu principali*, & ibi Ioan. Andr. & alij relati à Maſcard. *ſuprà.* Ex iure canonico eſt pro hac parte textus expreſſus *in cap. Capellanus, de feriis*: vbi duæ fuerunt opiniones Pontifici propoſitæ, & poſteriorem elegit, quia (inquit Pontifex) *meliori, & ſubtiliori ratione nitebatur.*

8 Regulariter tamen loquendo, ea ſententia probabilior eſt iudicanda, quæ à pluribus defenditur, & à doctioribus: vt dixit Philoſophus *1.topic.cap.1.* Probabiliora ſunt, quæ videntur omnibus, vel plurimis, vel ſapientibus, & iis, vel omnibus, vel plurimis, vel maximè notis, & illuſtribus. Non præcisè, quia ab iis defendatur, ſed quia præſumi debet efficatiorem rationem pro ſe habere, cùm plures ad eam defendendam concurrerint. Quare ſi firmo fundamento carent, eorum ſententia non eſt iudicanda probabilior; imò, vt dicit Ioan. Lup. *cap. per veſtras. de donat. inter virum & vxorem, notab.3 §.20.n.12.* illis non eſt credendum, ſi fundamento carent.

9 Aduerto ſæpe contingere aliquam ſententiam probabiliorem eſſe, non tamen tibi ita apparere, vel quia eius fundamentum & patronos ignoras; vel quia tibi contraria fundamenta probabiliora videntur. At ad actiones regulandas non tam attendi debet, quid opinio in ſe habeat, ſed qualis tibi appareat, vt bene notauit, Ant. Perez ex Caiet. Salas *certam ſcholaſt.10.n.41.* & Villalobos *t.1.ſum.tract.1.diffic.4.n.8.*

10 Dico tertiò, Communis opinio eſt, quæ à Doctoribus eam ex profeſſo tractantibus communiter defenditur. Nam ſi perfunctoriè ſolùm de illa tractent, etiam ſi plures ſint, non æquiualent paucis eam ex profeſſo diſputantibus, vt optimè aduertit Menoch. *de præſumpt.lib.2.præſumpt.71.n.39.* Alciat. *de præſump. regula 1.præſumpt.51.n.2. verſic. item intellige,* Nauar. *cap.27.n.289.* Azor. *lib.2. inſtit. 13. circa fin.* Ioan.Sanch. *diſp.44.n.68. & diſp.29.n.7.* Debent tamen ij Doctores ex profeſſo quæſtionem diſputantes certi Doctoris doctrinæ non eſſe ita addicti, vt eum tanquam oues, & volucres vnam præeuntem ſequantur. Nam tunc non communem opinionem, ſed ſingularem efficiunt, quod bene docuit Azor. *ſuprà illo cap.13.* cum Nauarr. Decio, Alexandro, & aliis. Inter Doctores verò ex profeſſo quæſtionem diſputantes plures reperies, qui ſuam opinionem communem eſſe aſtruant, cum tamen alij oppoſitam communem eſſe aſſeuerent, & ideo non facilè diſcerni poteſt quæ ſit communis opinio, vt dixit Azor. *ſuprà*, niſi fortè Doctores euoluas, & videas multo plures, & doctiores pro vna parte ſtare, quàm pro alia. Quando autem facilè cognoſci non poteſt quæ ſit communis opinio, tunc plurimum conduceret iudicem habere propitium, cùm is poſſit tunc adhærere, vtri opinioni maluerit, nec tenebitur in ſyndicatu, vt ex Abbate, Baldo, & aliis docet Maſcard. *de probat. concl.1143. n.20.* imo neque quoties ſequitur opinionem probabilem relicta probabiliori, quia prudenter operatur. docet Ioan.Sanch. *diſp.44.n.79. fine*, & infrà latiùs dicemus.

11 Dico quartò, Communis opinio regulariter præferenda eſt particulari, niſi fortè particularis ita efficacem ac firmam rationem habeat vt meritò multorum ſententiis præponi debeat, iuxta textum *in cap. Capellanus, de feriis*, & tradit ita Azor. *lib.c.13.57.* Henriq. *lib.4.de Pontif. legib.c.18. n.3.* Villalobos *t. ſum. tract.1. diffic.4.n.19*

12 Ex qua doctrina probat Thomas Sanchez *lib.1. de matrim.diſp.18.n.7.* & Maſcard. *ſuprà n.11.* opinionem ſingularem alicuius Doctoris probabili ratione nitentem præferendam eſſe, ſi valorem matrimonij defendat, plurium ſententiæ illud impugnantium, & adducunt pro ſe Hoſtienſ. Abbatem, Felinum, Decium, & alios: idémque dicendum exiſtimant, ſi opinio ſingularis fauet cauſæ piæ, teſtamento, libertati, doti, & ſimilibus: idémque docuit Nauarr. *cap.27. num.287.* Villalobos *tom.1.ſumm. tract.1. difficult.7. num.3.* & generaliter quælibet opinio defendens valorem actus præferenda eſt contrariæ ſententiæ, etiamſi ſit contra reum in fauorem actoris, vt ex multis allegatis docet Nauarr. & Villalobos *ſuprà*. Et ratio omnium eſt, quia ſtat pro omnibus præſumptio iuris, & veritatis pro omnibus illis cauſis, vt probat Barbatia *in conſ. 6. ſcriptum eſt præclarè, col.2. verſ. eſt nouum, vol.1.*

PVNCTVM II.

An liceat tibi opinionem probabilem & minus tutam ſequi relicta tua tutiori, & probabiliori.

1 *Qui negent, & quibus ſuam ſententiam probent.*
2 *Probabilius eſt eligi poſſe opinionem probabilem, relicta probabiliori.*
3 *Satisfit 1. & 2. argum. contrario.*
4 *Tertium fundamentum diſſoluitur.*
5 *Non ſolùm potes relicta probabiliori opinione ſecundùm probabilem aliorum operari, ſed in caſu grauis neceſſitatis teneris.*

1 NEgant plures primò, quia ſic operans errare vis, non tutiorem viam eligens cum poſſis, eáque de cauſa *in cap. iuuenis, de ſponſalib. cap. ad audientiam, cap. ſignificaſti elect. 2. de homicidio*, dicitur in dubiis tutiorem partem eſſe ſequendam, ne errandi periculo aliquis ſe exponat. Secundò *in cap. Capellanus, de feriis*, ſequutus eſt Pontifex ſecundo loco propoſitum, eo quòd meliori, & ſubtiliori ratione nitebatur. Sentit ergo probabiliorem ſequendam eſſe, relicta ſemper probabili. Tertiò non videtur qua ratione id fieri poſſit: nam ſequens opinionem probabilem aliorum, vel retines propriam, quæ tibi tutior, & probabilior apparet, vel non? Si retines, impoſſibile videtur te operari ſecundùm opinionem aliorum: nam ad hoc vt operis bene, efformare debes iudicium practicum de bonitate obiecti, hoc eſt, iudicare debes hîc & nunc tibi eſſe licitum operari: hoc autem iudicium contradictorium eſt alteri iudicio probabiliori, quod habes tibi talem operationem non eſſe licitam, & licèt quod libet ex iis iudiciis cauſas, ſeu motiua diuerſa habeat, in cauſa non eſt, quominus iudicia inter ſe contradictoria ſint. Ergo ſimul eſſe non poſſunt. Si dicas te relinquere propriam opinionem, cùm ſecundùm opinionem aliorum vis operari, præterquam quod eſt contra plures, grauéſque Doctores affirmantes id neceſſarium non eſſe, videtur hoc ferè impoſſibile: nam intellectus non facilè dimouetur ab aſſenſu, quem verum exiſtimat cùm in hac parte libertatem non habeat propoſita veritate obiecti. Ergo abſolutè non potes relicta probabiliori tua opinione aliorum opinionem probabilem ſequi: & ita defendit Conrad. *de contract.7.q.vlt.concl.1.* Corduba *lib.2.q.3.* Armilla *verb. opinio, §.1. & ſeqq.* Syluest. *eod. q.1 & 2. & verb. dubium, q.2.* Burgos de Paz. *in proœmio legum Tauri n.162. & 163.* at *n.409.* dicit eligi poſſe opinionem æquè probabilem, ſed non dicit minus probabilem.

2 Nihilominus communis ſententia eſt, & mihi probabilior (etſi ſupradicta ſit ſatis probabilis) eligi poſſe opinionem minus probabilem, & tutam, relicta probabiliori propria, & tutiori: ſic tenet Valent. *1. 2. diſputat. 2. quæſt. 14. part.4.* Vaſquez *diſput. 62. cap.4. & ſeqq.* Salas *ibi*, innumeros referens *tract.8. diſp. vnic. ſect.6. num.66. §. hæc opinio.* Petr. Nauarr. *libr.3. de reſtitut. cap.1. dub.13. num.237. in noua edit.* Nauarr. *cap.27. n.280. & 288.* Sayrus *in claui regia lib.1.c.5. num. 4. & 8.* Thomas Sanchez pluribus (vt mos eſt) relatis *lib. 1. in Decalog. cap.9. num.14.* Ioan. Sanchez illos, & alios plures allegans *diſp. 42. num.12.* Probo primò, cum ex opinione probabili aliorum operaris, prudenter operaris, tum quia alij ex illa operantur prudenter, & præcipuè, quia ſæpe opinio quæ alicui probabilior, & tutior apparet, probabilior non eſt, & tutior. Ergo poteris relicta tua opinione probabiliori aliorum probabilem amplecti. Secundò ſi teneris ſequi opinionem, quæ tibi probabilior apparet, neque potes ex probabili aliorum ſententia operari, mille ſcrupulis agitari debes, & ſingulis horis obligaberis opus variare, cum iam vni opinioni vt probabiliori adhæreas, iam contrariæ, vt bene expendit Salas *ſuprà n.68. in confirm. 2. 6. arg.*

3 Neque obſtant contraria adducta.

Ad primum reſpondeo te operantem ex opinione probabili aliorum errare non velle, cùm æquè tutam viam eligas, ac